856.



NOBILISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO DOMINO D.

PHILIPPO HARDVYNO DE SAINCT IACQVES

PARISIENSIS MEDICORVM ORDINIS DECANO ORNATISSIMO.

ETSI præclara tuarum virtutum (Decane Ampliſſime) *atque adeo præſtantis in omni genere doctrinarum eruditionis ornamenta oculis omnium ita patent; nemo vt ſit, qui non eorum & amore quodam incredibili & admiratione teneatur: non dubitabo tamen in hac publica hominum luce profiteri, & quantùm potero voce contendere, me ſemper illorum præ cæteris & laudatorem & admiratorem ſummum fuiſſe; ſiue quod cùm te vnum ad imitandum mihi ipſe propoſuiſſem quaſi perfectiſſimum quoddam exemplar earum virtutum atque artium, quæ Medicum efficiunt omni laude cumulatum, ſpe ſum ductus fore aliquando, vt hanc gloriæ tuæ hæreditatem aliqua ex parte cernerem; ſiue impulſus tam eximiâ tui ſingularis erga me animi ſignificatione ſemper putaui eum eſſe mihi præcipuâ quadam ratione colendum, à quo nouis beneficiis auctior in dies ornatiorque diſcederem. Etenim quantùm poſſum iſtius biennij memoriam recordari vltimam, quo in hoc Iatrico curriculo verſamur, te noſtrorum ſtudiorum moderatorem ac principem diuinâ quadam forte nacti, nullum tempus video fuiſſe, quo non tuam egregiam erga me voluntatem minimè vulgari genere officiorum declaraueris: quæ omnia ſi commemorare velim & commendare hominum memoriæ ſempiternæ, non ſolum amens ſim, qui ea coner illuſtrare oratione, quæ cogitatione conſequi non poſſim: verùm etiam tuos mores parum perſpectos habere videar, qui eo ſemper animo fuiſti vt non minus eſſes alienus ab omni laudum inanium fuco, quàm propenſus ad bene de omni hominum genere merendum: nihilominus, quæ tua eſt humanitas, quæque in me beneuolentia, non grauatè feres tabellam hanc tuis inſignibus ornatam ad poſteros peruenire tanquam teſtem tuorum in me meritorum, atque obſidem meæ erga te obſeruantiæ: vt omnes intelligant me in eorum numero eſſe, qui tuis ampliſſimis beneficiis deuincti cùm tibi referendâ gratiâ non poſſint, prædicandâ certè ſatisfacere etiam atque etiam cupiunt.*

C. Breget.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. MARTII,

M. DIONYSIO GVERIN Doctore Medico moderatore.

An Phthisi Aër siccus?

IN omni morbo corporísque ægrotatione facilis & expedita respiratio magnam incolumitatis spem ostendit, quæ non tantùm partes, quibus spiritum ducimus, thoracem pulmonémque, ab omni vitio & doloris molestia vacuas esse: sed etiam, quæ cum illis vicinitate coniunctæ sunt, hepar, lienem atque ventriculum omnibus incommodis carere significat. Nam vt vitæ variáque ætatum ratio accretione pulmonis & diminutione definitur: ita meritò spes salutis certissima in illius integritate collocanda est. Pulmo autem spiritus receptaculum eam à Natura raritatem & similem spongiæ mollitudinem habuit, quæ hauriendo aëri foret aptissima, cuius ratione respirationis motum reciprocando animam frequenter excipit, eandémque cum cordis fuligine exhalat ac reddit: vnde propter mollem & teneram, atque adeo infirmam compagem pulmo grauioribus morbis magis obnoxius esse videtur. Non etenim tot assiduis fluxionibus tanquam imbribus obrueretur, non toties humoris putrescentis acrimoniâ exulceraretur, si solidam firmámque nactus esset compositionem. Verùm quæ ex hac necessaria pulmonis structura mala proficiscuntur, hominem præ cæteris animantibus affligere solent, an ob amplissimam cerebri molem? an propter sanguinis, quo illius pulmones alluuntur, maximam vim & tenuitatem? quare in hominum genere illi potissimùm pulmonis vlcere tentantur, quibus caput est εὐπλήρωτον, & præ thoracis angustiis humeri è dorso alarum instar eminent.

PHTHISIS exitiosa pulmonis labes, totiúsque animalis pernicies teterrima, illius visceris vlcus est, quod dum febriculâ continuâ ac satis molestâ cor infestat sensim & pedetentim cæteras partes extenuat & consumit. Pulmonis verò molle corpus & tenerum quiuis humor mordax citò lacerat & erodit, siuè è capite decidat, siue in ipso collectus sit pectore. Ac primò quidem tenui, quæ pulmones vestit, membranâ diuulsâ, eorum caro permollis humoris corrupti prauitate imbuitur, qui nisi statim expectoretur, totam animalis cibi officinam pestilenti inquinat halitu. Hac igitur incipiente tabificâ pulmonis exulceratione pectus tussi nimiùm vehementi concutitur, quam sanies per pulmones sparsa acerrimo morsu excitat, à qua si quæ fiat intermissio, sputum pure sordidatum, & nonnunquam venâ arteriâue exesâ sanguinolentum eiicitur: tunc febrilis flammula in corde accenditur, quæ ardore lento omnem illius humoris alimentarii suauitatem dissipat & conficit; indéque in hecticam degenerans singulis diebus ad vesperum maximè à cibo calcis instar frigidâ conspersæ incandescit. Hoc nascens malum antequam radices habeat altiores facilè opprimit aëris siccioris vsura, qui dum intimos pulmones peruadit & permeat summam exulceratæ parti leuationem adhibet.

AER, ex quo vita salusque pendet animantium, duplici ratione illas afficit. Is quippe per cæca cutis spiracula latenter ad arterias transmissus innatum iis partibus calorem alit & sustentat, vel per asperæ arteriæ ostium ad pulmones spiritu ductus summum cordis feruorem blandâ refrigeratione mitigat recreátque: & in eo posita est maxima cum animantibus aëris familiaritas, cuius ratione ex iis omnibus, quæ illis extrinsecus accidunt, solus quasi insitus & connatus videtur, quod ab iisdem citra lucis amissionem seiungi non possit. Aër non omnibus idem amicus est; sed qui omnium qualitatum est moderatione temperatus integram sanorum valetudinem præclarè tuetur & confirmat: secùs verò, qui aliqua laborant intemperie aërem postulant, qui contrariæ qualitatis dominatu teneatur: sic ardenti febre æstuantibus aëris frigidi humidíque spiratio multa præbet solatia, ex cuius ad cerebrum appulsu qui sunt imbecilliori capite, grauissimè læduntur: sic pulmonis vlcere intabescentibus aëris siccitas ad eius morbi remissionem curationemque plurimùm confert. Quare illi se Æstate summâ meliùs habent vt Vere & Autumno grauiùs ægrotant.

VLCVS omne geminâ humoris putridi scatet illuuie: alterâ quidem tenui & serosâ, quæ vlcus humidum efficit: alterâ verò crassiore, fæcis instar, à qua sordidum dicitur: ac propterea vlceris sanatio in duobus remediorum generibus posita est, quæ scilicet humiditatem superuacaneam siccare possunt & exhaurire atque etiam sordes detergere: quorum medicamentorum vtraque facultas ad siccitatem præcipuè referenda est. Sed non ita facile est eiusmodi medicaminibus pulmonis vlcera curare: vt cuilibet vlceri, quia oculis conspicitur, præstò medicamentum est, quod exulceratis pulmonibus admouere nemo potest, ad quos etiam cibo & potui omnis obstructus est aditus. Quare quî fieri potest, vt medicamenta, quæ siccandi & detergendi facultate instructa sunt, alio itinere integras vires ad sanandum pulmonem deferant, cùm varias ante mutationes in ventriculo, iecore & corde subierint. Soli ergò aëri prima per asperam arteriam ad pulmones ianua aperta est, qui dum reconditos eorum recessus citissimè penetrat, omnem vlceris saniem suâ siccitate absorbet, sordidamque fæcem absterget & eluit: quamobrem pulmonis vlcere tabescentes Stabias olim adire solebant.

VLCERE in dies latiùs serpente pus expellitur cum odoris fœditate intolerabili, cuius contagione imprudentes non raròcontaminantur; quinetiam simul pulmonis corrupti particulæ prodeunt, quæ morbum reddunt insanabilem: itaut hæc funesta homini pestis non tantùm propter certum vitæ periculum: sed etiam ob summam totius corporis deformitatem horribilis sit & pertimescenda. Quis enim turpior est aspectus? quàm cùm oculi concaui sunt, extenuatissima apparent tempora & nares acutæ, totaque facies Satyrum repræsentat, quam adunci digitorum vngues comitantur. Hinc frequens accidit ἀλφόρροια, pilique in capite arescentes defluunt: quæ quidem omnia dum tabem indicant consummatam, mortem actutùm futuram prænunciant. Quantò autem maior est in illa corporis deprauatione turpitudo, atque calamitas, tantò citiùs Medici primò exulcerationis tempore pulmoni mederi debent: frustrà namque prius ἀναληπτικὰ quæ vocant, remedia adhibent, quàm vlcus ab omni sanie expurgatum fuerit & cicatrice obductum: quæ sanè beneficia spirabilem aërem sicciorem factum præstitisse, sæpè compertum est. φθινώδεις γὰρ τοῦ ἀέρος αἰθρίου καὶ ξηροῦ γινομένου κουφίζονται.

Ergo Phthisi Aër siccus.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS BREGET Parisinus. A. R. S. H. MDCXXXVIII